

licere Theologia abuti putabunt, nobis in ueritate asse-
renda ad ueritatis fontem recurrere non putabunt: pre-
claram sane legē & authoribus suis non indignam. licet
profecto licet, sicubi artes ac disciplinæ inter se pugnant,
ut lis omnis dirimatur, ad certiores eamq; superiorem
cōfugere. Dei nimirū per Prophetas & Apostolos tra-
ditum uerbum norma nobis esse debet, ac quædā quasi
Lesbia regula ad quam ueritas omnis examinetur. Ve-
rum longius, quàm institueram, euagatur oratio, dum
ostendere conor, neq; ex natura & constitutione come-
tæ, neq; ex ullius ueræ disciplinæ fundamentis, neq; euē-
tis, neq; Dei patefactione id euinci posse, quod homi-
nes leues & stulti omnibus persuasum esse uolunt. Atq;
hic quidem non graues, doctos, pios homines, qui suo
se pede metiuntur, & à quibus nihil sine ratione profici-
sci uerisimile est, intelligere me putes uelim: quos ego
colo, & amo, & libenter lucubrationibus eorum, nec si-
ne uoluptate utor: sed ad eos mea pertinet oratio, qui,
ut est apud ueterem Poetam Ennium,

Non sunt aut scientia, aut arte diuini.

Sed superstiosi uates, impudentesq; harioli,

Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat,

Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiam.

Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmam ipsi petunt:

De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Horum sane leuitatem Plato, ut Plotinus docet, indica-
uit, cum eos corporibus exutos, post obitum in aues
transmigrare ait, eam fortassis ob causam, quod uiui e-
tiam animis in aere uolitant, & ut Comicus loquitur,
ἀεροβατοῦντες curiose ea inquirerēt in rebus sublimibus,
quæ falsò ibi se reperisse in uulgus spargerent. Quæ
caussa uidetur fuisse, ut quod Astrologi Alexandriae pē-
debant, stultorum tributum uocari sit solitum. Sic enim
est apud Suidam. Hoc loco commodum uenit mihi in-
mentem eius, quod Lutetiæ sæpenumero audiui ex op-
timo eodemq; doctissimo uiro Hadriano Turnebo,
amico